

Whale tailed Manati, *Pennant. Hist. quadr. II. pag. 536.*

n. 390. Zool. arct. I. p. 177. n. 81.

Trichechus Manatus; borealis, *Gmelin. syst. Lin. I. p. 61.*

sp. 3. var. 2.

Rossice Morskaja Korova (Vacca marina).

Bellua marina in Oceano orientali ad insulas Asiae et Americae interjectas et ad Americana (non Asiae) littora frequens a Manato orientaliorum littorum Americae specie longe diversa, e solis *immortalis Stelleri* laboribus cognitum et ab eodem graphice, quoad structuram, mores et naturam, descriptum. Omnia auctorum synonyma ad Manatos vulgo citata, etiam recentissima *Buffoniana* et altera foetus in *Nov. Actis Petropol. Tom. XIII. p. 371. tab. 13.* exhibita adumbratio ad alteram *Manati* speciem (cauda integra, ore dentato, corpore laevi, *Gmelin. loc. cit. var. a.*) pertinent.

Nota. Differt autem *Man. borealis* cauda praesertim bilobata, cute depili, corneo-callosa, ossibus molaribus planis, pinnato-rugosis, cuti innatis, loco dentium molarium. — Manatus assimilatur Cetaceis ore edentulo, cauda exossi, loco pedum posteriorum; cum Rosmaro convenit naribus binis, et mammis pectoralibus. Iconem, utut rudem, addere volui, qualem accepi.

XXXIII. DELPHINUS.

Cetacei utraque maxilla dentati, cum vel sine pinna dorsali et cujuscunque magnitudinis genus naturale Delphinorum jure constituunt. Hinc speciem dorso impenni hic primam facio.

143. DELPHINUS *Leucas. TAB. XXXI. et XXXII.*

D. dorso impenni gibbo, corpore albo.

Walfisch, *Anders. Island. p. 251. Cranz groenl. p. 150.*